



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epitome Instituti Societatis Jesu

Sesti, Curtius

Bruxellis, 1690

Cap. II. De Potestate, & forma admittendorum ad Professionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

formatorum sunt Purificatæ, & Assumptæ
Deiparæ solennes; sic tamen, ut non sint
conditio necessaria ad Professionis valo-
rem; immò nec ad eò religiosè servandì, ut
Provincialis alios sufficere non possit:
quando præstitutis diebus aliquis citra cul-
pam, & gravem ob causam, casumque
& C. 12. D. 9. fortuitum promoveri non potuit. ^r Locus
& C. 13. D. 20. Professioni emittendæ Roma tantùm pri-
^s Paul. III. p. mò concessus. ^s Sed quilibet postmodum
31. permissus est. ^t
^s Paul. III. p.
52.

CAPUT II.

De Potestate & forma admittendi
ad Professionem.

SECTIO I.

Quis ad Professionem admittere queat,
& qua prævia informatione
debeat.

Potestas ordi-
naria est penes
Præpositum Ge-
neralem, &
Vicarium.



I. Uod jam proximè indicatum
est, potestas decernendi, ut
aliquis promoveri possit ad
Professionem, est penes Præ-
positum Generalem privativè. Quam fa-
cultatem tamen in remotissimis regioni-
bus, quales sunt Indicæ, potest Generalis
com-

communicare Provincialibus : non autem id facile dabit in propinquioribus , & solum ei , cui perinde fidat , ac sibi ipsi Vicarius etiam Generalis , subrogatus in locum defuncti , potest promovere ad Gradus , æquè ac Generalis.

a P. 5. C. 1. §. 2. & C. 2. §. 1. & A. & P. 9. C. 3. §. 1. & A. C. 12. D. 10.

4. Admittere verò , hoc est , excipere ipsam Professionem , præter ipsum Generalem , ex ejus commissione , ordinariè solent Provinciales , Superiores locales , Visitatores. Possunt ex eadem commissione , & alii viri insignes ; etiamsi è Societate non sint , ut Episcopus , vel Persona in dignitate Ecclesiastica constituta ; & hi quidem , cum nullus ex Societatis Professis præsto erit. *c* Licèt autem Provinciales ad excipiendam Professionem soleant subdelegare alios è Nostris , præsertim Superiores : facultas tamen , quam ad hoc habent à Generali , non extenditur ad externos Prælatos.

Quis excipere Professionem possit.

c P. 5. C. 1. B.

d C. 8. D. 34.

3. Cùm igitur statuere , quinam legitimas condiciones adepti sint , ut ad Professionem promoveri possint , ad Generalem ordinariè spectet ; propterea priùs ipse nominatim certior fieri debet de eorum dotibus. *e* In qua informatione , ut fideliter & exactè procedatur , confecta est Instructio ; quæ nihil humanæ diligentiae desiderari

Præmittenda Informatio ad Generalem.

e P. 5. C. 2. A. & P. 9. C. 3. A. & C. 7. D. 6.

N hoc

hoc in genere patitur; estque inter Ord.
Gen. Cap. 18. à qua non facilè receden-
dum. f

f C. 7. D. 99.

Quomodo in-
formatio confi-
cienda.

g C. 9. D. 37.

4. Summa verò ejus Instructionis hæc
est. Provincialis, præter informationem,
quam in Visitatione Collegiorum de Pro-
movendis accipere debet, quatuor seliget
Patres, (neque enim plures esse debent g)
qui unumquemque proponendum melius
noverint, daturos de eo informationes,
juxta subjecta in eadem Instructione ca-
pita. Ex his quatuor Informationibus,
vel voce, vel scripto traditis, sua singulis
promovendis respondens informatio à Pro-
vinciali conficienda est; quam cum suis
Consultoribus communicet, atque exa-
minet; judiciumque illorum singulis in-
formationum capitibus apponat. Sed præ-
terea tam ipse, quàm Consultores, distin-
ctis literis ad Præpositum Generalem scri-
bent sententiam suam: cui per easdem sig-
nificabunt an Promovendus excedat me-
diocritatem virtutis, juxta explicationem
Decreti 6. Con. 9. In his autem omnibus
non solùm diligentia, & prudentia, sed
etiam secretum, quod oportet, adhiben-
dum erit. Habes in Instructione prædicta
Paradigmata conficiendarum informatio-
num; tum earum, quæ ad Provinciale,

tum

tum quæ ad Generalem mittuntur. Is verò cum Assistentibus eas expendet ; statuetque de Promovendis, quod in Domino judicaverit. Literæ autem Generalis de Promovendis conservandæ à Provinciali sunt certo aliquo in libro , quoad executioni mandatæ sint.

5. Antequam Professionem quis emit-
 tat, debet relinquere bona sua; nisi id
 prius præstiterit; ac pauperibus, nisi aliud
 recta ratio dictaverit, distribuere; *h* & Su-
 periori domus, circiter triginta dies ante-
 quam Profiteatur, rationem conscientia
 reddet. *i* Ostiatim etiam, per triduum
 mendicabit; *l* ac demum Exercitia spiri-
 tualia, spatio unius hebdomadæ, per-
 aget. *m*

*Pramittenda
 ab eo, qui pro-
 movendus est.
 h Ex. c. 4. §. 2.
 i Ex. c. 4. §.
 38.
 l Ex. c. 4. §.
 27.
 m Ex. c. 4. §.
 41.*

6. Si verò aliquibus propter illorum de-
 fectus, retardanda promotio videatur; hi
 scripto monendi sunt, cum declaratione de-
 fectuum: quod ubi Provincialis præstite-
 rit, Generali significabit. *n* Quæ autem
 obligatio sit acceptandi gradum, quem P.
 Generalis designaverit, expositum est
 supra Part. 1. Cap. 6. Sect. 7. ubi de
 promissione ingrediendi Societatem, quam
 tribus Votis post biennium adjungimus,
 actum est. Ad amoliendas porrò difficulta-
 tes, quæ subinde oriri possent in Gradibus

*Quid agendum
 cum dilatis.
 n Or. c. 18. p.
 4. §. 5.*

acceptandis, plura traduntur in Instr. ad
Super. C. 6.

S E C T I O I I.

*Quid servandum in ipsamet Pro-
fessione.*

*Forma Profiten-
tium.*

1. **F**ORMA verò, qua aliquis ad Profes-
sionem admittit, est, ut Præposi-
tus Generalis, vel qui, accepta ab eo fa-
cultate, ad Professionem admittit, post-
quam publicè Missæ sacrificium obtulerit;
in Ecclesia, coram Domesticis, & aliis
Externis, cum Sanctissimo Eucharistiæ
Sacramento ad eum, qui Professionem est
emissurus, se convertat. Is autem, absoluta
generali Confessione, & verbis, quæ ante
Communionem dici solent, voce alta Vo-
tum suum scriptum (quod aliquot ante dies
oportet, ut consideraverit) leget; cujus
formulam pro quatuor Votorum Professis
vide in Constitutionibus Part. 5. Cap. 3.
§. 3. pro trium verò Votorum Professis
ibid. §. 6. adjecto utrobique quod præ-
scripsit Con. 12. Dec. 56. §. 7. Post hæc
& 4. & R. sumet Sanctissimum Eucharistiæ Sacra-
mentum. Neque aliæ his ceremoniæ ad-
dendæ. P

o P. 5. c. 3. §.
2. & 4. & R.
Pr. 70.

p C. 1. D. 36.

2. Par-

2. Particularia, quæ sunt exposita, decent quidem; & cum fieri potest, observanda sunt; non tamen ut necessaria. Fieri enim posset; ut Sacerdos non esset, vel Missam celebrare non posset; qui, ex ordinatione Præpositi Generalis Professionem admittit. Illud autem essenziale est, ut publicè Votum legatur, coram iis de Societate & Externis, qui adfuerint; atque ut tamquam solemne, & emittatur, & admittatur. ¶

Quid in ea essenziale, quid non.

¶ P. 5. c. 3. A.

3. Post emissam Professionem emittuntur alia Vota simplicia, etiam à Professis trium Votorum. ¶ Quorum simplicium Votorum formula descripta à Cong. 1. Dec. 102. & recognita à Con. 3. D. 46. legitur in fine Part. 10. & ultimæ Constitutionum. Materia est 1. non relaxare Constitutiones circa Paupertatem. 2. Non ambire Dignitatem intra, vel extra Societatem. 3. Non consentire Dignitati admittendæ extra Societatem citra præceptum. 4. Delatio ambientium. 5. Promotum extra Societatem audire consilia Generalis, & exequi; si ea meliora credantur.

Vota post eam simplicia.

¶ P. 10. A. & C. 4. D. 54. & R. Prov. 70. 71.

4. His peractis scribetur ejus nomen, qui Professionem emisit; & illius, in cujus manibus emisit; adnotato die, mense, & anno, tam in libro, qui apud Provinciam, quàm in alio, qui apud Superiorem

Omnia scripto consignanda, & conservanda.

s P. 5. c. 3. §. localem, in hunc usum, servari debet. Et
 4. & R. Prov. præterea exemplum emissæ Professionis, &
 72. 73. & aliorum quinque Votorum, nomine emit-
 Præp. 12. & tentis subscripto, ad Generalem, per Pro-
 Rect. 11. vincialem, quamprimùm transmittetur.

C A P U T III.

Explicantur effectus Professionis,
 & aliorum Votorum, quæ à
 Professis emittuntur.

S E C T I O I.

De effectibus Professionis in Genere,
 & speciatim Voti Paupertatis.



Prætermisiss obligationibus, quæ
 resultant etiam ex Votis Scho-
 larium, atque adeò superiùs ex-
 positæ sunt, Part. 1. Cap. 5. Sect.
 4. & c. hic exponentur peculiare effectus
 horum Votorum, tum solemnium, tum
 simplicium.

*Professorum
 unio summa
 cum Societate,
 à qua tamen, di-
 mitti possunt.*

1. Et primò per hæc Vota Religiosæ
 Professionis, quæ solemnia sunt, consti-
 tuuntur nostri Professi in eo statu: in quo
 per traditionem perfectam ex parte ipso-
 rum, & parem acceptationem, ex parte
 Re-